

ad evitandum scrupulum confessarius prime  
adherens opinioni infirmum loquela, vel v-  
ni rationis priuatum absoluat, cum his ver-  
bis. Ego te absoluo à peccatis tuis, intendens  
ea illo proferre sensu, in quo scit Dominus  
quid potest, & debet illa proferre, & infir-  
mo proficere, scilicet ut si sic potest infirmus  
talis tantum generaliter absolui, sic ea inten-  
dit proferre, & infirmo proficere : si autem  
potest sic sacramentaliter absoluiri, sic intendit  
ea sacramentaliter proferre, ut sic tantum va-  
leant, quantum Deus vult ea valere : scilicet  
vel ad remissionem peccatorum mortaliuum,  
vel venialium, vel pænarum, vel censurarum,  
vel ad concessionem indulgentiarum, vel sal-  
tem administris valeant per modum deprecatio-  
nis, his enim sex modis sumi possunt hæc ver-  
ba. Ego te absoluo à peccatis tuis. De tali  
enim absolutione sic facta dici poterit, si nō  
valet quod ego ago, ut ago : valeat ut valere  
potest. I. Si talis absolutio non valeat neq;  
ut est specialis, neq; ut generalis absolutio  
valeat, ut secundum Dei beneplacitum va-  
leat potest, quasi dicat . Plus in illa atten-  
datur Dei pietas misericordia & intentio,  
quā mea, immo meam suppono in hoc & in